

GS/2C

De Ecclesiae principiis et actione
ad bonum societatis provehendum

C) De matrimonio et familia.

II Pars practica

a. De familia

1. Cum familiae ratione structuae et amplitudinis, muneris et efficieniae socialis necnon modi auctoritatis exercendae pro regionum et temporum conditionibus multum inter se differant, familiae ipsae et eam censociationes constanter ita sese his condicionibus adaptare studeant ut, in quantum permittunt, essentiales fines domesticae societatis tamquam unitatis naturalis, moralis, iuridicae, oeconomiae facilius attingant.

2. Familiare institutum ab omnibus societatis institutionibus corroboretur et protegatur ita ut, propria industria, suos naturales fines assequi valeat; quod etiam postulat ut parentes propriam responsabilitatem filios educandi et sustentandi ad effectum perducere queant, et ut familie decenti habitatione et congrua securitate gaudeant.

Qua in re conandum est ut familiae, pro diverse proliis numero, congruis vitae condicionibus fruantur.

3. Omnes in scientiis biologicis, psychologicis, medicinalibus, socialibus peritos necnon idonea instituta S. Synodus invitat ad investigationes scientificas et progressus technicos ita moderandos et apte communicandos ut mariti in difficillimis saepe conscientiae conflictibus circa usum matrimonii honesto more peragendum vere iuventur.

4. Fideles, quod ad publicas auctoritates attinet, propriam et primariam omnium parentum responsabilitatem vindicent quoad condignam proliis procreationem et educationem. Insistant ut leges et administrationes publicae hac in re familias vere adiuvent, praesertim quoad habitationem, proprietatis divisionem et usum, securitatem, tributa; familiarumque publicam aestimationem mediis efformandae opinionis promoveant et vitam contra errores et abusus libertatis defendant. Strenue adversentur dispositionibus iuridicis quibus iura et officia coniugii et familiae periclitantur, etiam sub specie et per modum adiutorii.

b. De educatione

1. Omnes qui in universa ratione educationis participant, id est familiae, institutiones ecclesiasticae et civiles, instituta ordinis oeconomici et socialis, in hoc concordare enitantur ut iura naturalia infantium ad congruam educationem agnoscantur, iura primaria parentum ad eam praestandum, iura etiam Ecclesiae ad instituta educativa erigendi et colendi; eruditionis vias et methodos requisitis mutabilibus oeconomicis, culturalibus, socialibus ita accomodent ut immutabilis humanae personae dignitas eiusque valores colantur et perficiantur.

2. Carent parentes ut scholae quas eorum proles frequentat, postulatis christiana educationis, in quantum fieri potest, vere respondeant. Ad hoc etiam conferant ut huiusmodi scholae sufficienti copia pro quovis educationis gradu et ordine erigi possint; qua in re ab omnibus catholiscis iuventur oportet. Concordibus viribus enitantur, efficiere ut huiusmodi eorum iura etiam publice agnoscantur, et in quantum haec variarum regionum varia adiuncta permittunt, in praxim deducantur.

3. Christifideles progressum socialem ita promoveant ut cuiusque coetus pueris et pueris, nullo admisso discrimine, fundamentalis eruditio et idonea educatio tradi possit; immo ita satagant ut iuniores illi qui sagaci ingenio gaudent et firma voluntate donantur, mentis eminentiorem cultum animique ornamentum recipere valeant.

Relate ad nationes quarum progressiones in actu sunt, catholici curam habebunt collaborare omnibus conantibus ut apud ipsas suscitetur et profundior fiat instructio et educatio iuventutis cuiusvis studiorum ordinis.

Praeterea iuvenes e regionibus progredientibus libenter admittantur in scholis et Universitatibus, praesertim catholicis; ex animo invitentur coetibus christiana*e* iuventutis, et eis familiae quas illustrat christiana traditio mensam et lares patefaciant; e regionibus vero progressis sponte iuvenes parati sint ad hoc ut in progredientibus pro earum necessitate et invitatione operas adiutrices praestent.

4. Cum nostris diebus magni momenti sint, in educandis adolescentulis, incepta et instituta laboris, carent parentes, publicae potestates, bonis dignendis consociationum et collegiorum opificum moderatores, sodales, maiores natu praesertim, ut etiam laborandi rationes et condiciones exigentis physicae, professionalis, socialis, moralis et religiosae educationis rite aptentur.

5. Aptae etiam seligantur et rationes et viae ad puerorum et adolescentium qui "subnormales" vocantur, educationem et formationem perficiendam. Simul videant omnes quibus hoc incumbit officium ut christiana*e* educationis principia serventur in illis institutis in quibus, deficiente familia, infantes et iuvenes educantur.

5. In hodiernis societatis adiunctis peculiariter attendendum est quantum ad vitam religiosam, ad concordiam vitae familiaris, ad intensiorem participationem vitae socialis et ad progressum culturae vel institutionis personalis conferat temporis liberi rectus usus. In ipsa ita quidem iuvenes educandi sunt ut, propria responsabilitate, tempore honeste et fructuose utantur: quae hac in re laudabiliter peraguntur a catholicis associationibus, iuvenum praesertim, Sacra Synodus omnibus commendat.

c. De condicione mulieris in vita sociali

1. Viri mulierisque a Creatore inditam distinctionem eorumque ad mutuo sese complendos proprietatem agnoscentes, cum illam aequalitatem qua gaudent ut personae et ad filiationem Dei adoptivam vocati, fideles ad hoc enitantur in omnibus rerum et locorum adiunctis eas conditiones efformare ut mulieres dona sibi propria plenius attingere ac ad bonum totius societatis humanae explicare queant.

2. Quamvis perfectiones illae individuales et sociales personae humanae communes quae ex labore oriuntur, merito praedicentur etiam de labore mulierum, hae tamen in eo susciendo et peragendo semper prae oculis habent quam indispensabilis sit pro humana societate earum operositas domestica, quantumque valeat ad vitam familiarem bene componendam.

Rago: el dar la vida al hogar, la vida de la mujer, su determinación
Cum labore extra domum exercent, carent et ipsae et omnes qui de habe re respondere debent, ut utilitates propriae et sociales quae inde vel immediate, vel pre heneata posteriore vita, praesertim si non nupserint, dignuntur, non in detrimentum vergant superiorum tenorum moralium et socialium, praesertim familiae, sed ea potius promoteant.

*Hace falta precisar las condiciones para el trabajo de la mujer fuera del hogar: q. sea ad perfectu*m*um de su persona como mujer casada y madre: luego el bonum familiæ*

Ne damnum inferat labor uxoris et matris primariis eius in familia muneribus, satagendum est, praesertim in remuneratione determinanda patrisfamilias, ne unquam matres ex necessitate cogantur operas externas suscipere quae earum obligationes familiares in discrimen adducant.

Si vero mulier, vel ex necessitate vel ad evolvendas peculiares ingenii vires, extra domum operas exerceat, aptis et multiplicibus dispositionibus vera ei libertas detur illas eligendi quae eius mulieris et matris condicionibus convenient.

3. Ut mulieres plene et absque ullo detimento dotes propriae personalitatis in vita sociali evolvere queant, necesse est ut congrua religiosa, intellectuali, sociali, technica institutione ornentur, earum indoli, aetati et condicioni, societatis progressui ac temporum et locorum adjunctis accomodata.

Valde ergo laudantur mulierum consociationes et instituta quae operam navant ad talem educationem et actionem socialem praebendam.

PATRIMONIO UC